

legittimos habilitamus eundem, ut tamquam legittimus et de thoro legittimo natus ad omnes actus publicos, si se casus ingesserit, admittatur, et in cunctis aliis suam libere prosequi valeat actionem, obiectione prolis illegittime¹⁾ imposterum quiescente et lege aliqua non obstante et specialiter illa, que legittimari spurios nisi ex certa sciencia non permittit²⁾. Adicimus eciam ex gratia speciali, quod predictus talis in bonis paternis succedat tamquam legittimus et de thoro legittimo procreatus. In cuius etc.

(Das gleiche Formular liegt zu Grunde der italienischen Pfalzgrafen-Urkunde von 1291 bei *F i d e r, Forschungen z. Reichs- u. Rechtsgeschichte Italiens IV*, Nr. 495, S. 502 und Urkunden Ludwigs d. Baiern bei *B ö h m e r, Acta imperii selecta* Nr. 730. 731, S. 499 f.; vgl. oben Nr. 65.)

Nr. 103. (97). Belehnung mit den Herzogtümern Österreich, Steier, Krain und der windischen Mark. — 1282, Dez. 27.

a. Belehnungsurkunde. — 1282, Dez. 27.

MG. Const. III, Nr. 339, S. 325 f.

Rudolfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis imperpetuum.

(1) Romani moderator imperii ab observancia legis solitus legum civilium nexibus, quia legum conditor non constringitur et tamen legis nature dominium, quod ubique et in omnibus principatur, necessario profitetur. Huius enim legis imperiosa potestas sic regnat potenter, sic in dominii sui potencia exuberat affluenter, sic cunctos artat et stringit, sic omnes dominii sui iugo laqueat et involvit, ut omnis caro et lingua statutis ipsius pareant et mandatis obedient, profiteantur dominium et imperium recognoscant. (2) Ideoque et nos, licet in excellenti specula regie dignitatis et super leges et iura simus positi, legis tamen nature preceptis et imperio caput nostrum sincere submittimus, et eidem fidelitatis debitum exsolvere cupientes, notum fieri volumus tam presentis temporis quam future posteritatis imperii Romani fidelibus, quod inter multa liberalitatis immense beneficia, quibus a sublimacionis nostre primordio plerosque fideles imperii prevenimus, ad instinctum, immo pocius imperium et preceptum eiusdem legis nature circa magnificenciam status prolis nostre et sublimacionem ipsius studia nostra convertimus ac de libero et expresso consensu imperii principum ius in electione regis Romani ex longa consuetudine tenendum principatus sive ducatus Austrie, Stirie, Carniolie et Marchie cum universis suis honoribus, iuribus, libertatibus et pertinenciis, sicut eos clare memorie Liupoldus et Fridericus duces Austrie et Stirie tenuerunt ac possederunt et aliis, que in terris eisdem quondam Otacharus rex Boemie quocumque legitimo titulo conquisierat, illustribus Alberto et Rudolfo filiis nostris karissimis apud Augustam sollempniter cum vexillis et sollempnitate debita concessimus in feodium ac principum imperii numero, consorcio et collegio aggregantes eosdem et ipsis ius principum concedentes ab eis pro principatibus memoratis fidelitatis et homagii receperimus iuramentum. (3) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre concessionis graciā infringere vel eidem in aliquo ausu temerario contraire; quod qui facere presumperit, gravem nostre maiestatis offensam se noverit incurrisse. [In] cuius rei testimonium et perpetui roboris firmitatem presentes litteras inde conscribi et bulla aurea thyphario regie maiestatis impresso iussimus communiri. Testes sunt hii: venerabiles Chunradus Argentinensis, Hartmannus Augustensis, Heinricus Ratisponensis et Wernhardus Secoviensis episcopi; illustres Ludewicus comes palatinus Reni dux Bawarie,

1) So auch die Urkunden Ludwigs d. Baiern; die unterm Text erwähnte Urkunde von 1291 aber: legitime.

2) Nach *K o g l e r, Legitimatio per rescriptum* (Weimar 1904), S. 78, Just. Nov. 89 c. 15.

principes nostri, Chunradus dux de Tekk, Hermannu smarchio de Baden, Heinricus marchio de Burgow et Heinricus marchio de Hahperch et spectabiles viri Albertus et Burchardus fratres de Hohenberch, Heinricus, Fridericus et Egeno de Vurstenberch, Eberhardus de Habspurch, Ludewicus de Oetingen de Vlugelow, Meinhardus Tirolensis et Guntherus de Swartzenburch comites; item nobilis vir Fridericus burchgravius de Nurenberch, Wernhardus de Schowenberch, Liutoldus de Chunring, Fridericus dapifer de Lengebach, Ulricus de Capella, Erchengerus de Landeser, Hertnidus et Liutoldus fratres de Stadekk et quam plures alii.

(M) Signum domini Rudolfi regis Romanorum invictissimi.

Datum in Augusta, per manum magistri Gotfridi prepositi Pataviensis nostri prothonotarii, VI. Kalen. Ianuarii, indicc. XI, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo, regni vero nostri anno decimo.

b. Kurfürstlicher Willebrief. — 1282, Aug. 22.

MG. Const. III, Nr. 341, S. 326 f.

Otto Dei gracia marchio Brandenburgensis omnibus presens scriptum visuris salutem in virginis filio benedicto. Ad cognitionem et noticiam tam presentium quam futurorum volumus pervenire, quod ob dilectionem et petitionem serenissimi domini nostri Rudolfi Romanorum regis voluntatem nostram adhibemus plenariam et consensum, quod inclitus dominus noster Rudolfus Romanorum rex iam predictus filii suis Alberto et Rudolfo terras, videlicet Austriam, Styriam, Karinthiam, Carniolam et marchiam Slavicam, libere possidendas iusto tytulo conferat feodali. Ut autem procedente tempore super huiusmodi factis de nostra voluntate, consensu et assensu nulli dubium oriatur et ut presens scriptum robur obtineat firmitatis, id ipsum sigilli nostri munimine duximus roborandum.

Dat. Brandburg., XI. Kalend. Septembris, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo¹⁾.

(Ebenso urfunden unter dem gleichen Datum die Herzoge von Sachsen: Nos Johannes (Albertus) Dei gracia Saxonie, Angarie, Westfalie dux, burgravius Magdeburgen(sis) ac sacri imperii marchalus u. s. w., Albrecht aber ohne burgravius - marchalus. Ähnliche Willebriefe stellten unterm 22. Sept. Mainz, Trier und Pfalz aus, einen ganz abweichenden Köln unterm 27. Juli, MG. Const. III, Nr. 342, S. 327, u. Nr. 340, S. 326.

Nr. 104. (98). Vertrag König Rudolfs mit dem Herzog von Baiern über die Handhabung des Landfriedens in Baiern und Schwaben. —

1282, Dez. 29.

MG. Const. III, Nr. 346, S. 331 f.

Nos Rudolfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et Ludewicus eadem gratia comes palatinus Reni, dux Bawarie, tenore presentium profitemur et scire volumus universos, quod nos super pace conservanda in Bawaria et Swevia convenimus in hunc modum: (1) quod quicunque aliquem de Swevia in Bawaria spolium committentem vel alias delinquentem in strata vel extra stratam per unam noctem scienter tenuerit, pro reo satisfaciet et tenebitur loco rei. Si vero negaverit, tenuisse se tales, manu tertia purgare se debet, vel culpabilis iudicatur; eodem per omnia observato, si in Swevia de Bawaria vel de loco alio in similibus delinquatur. (2) Sunt autem in parte Swevie superiori ex parte regia Volkmarus de Kemenata, advocatus Augustensis, et fratres de Schellenberg, in inferiori vero parte Swevie dictus . . . Gusse et Ulricus dictus de Eychen, in Bawaria vero super Augustam ex parte nostra, comitis Palatini scilicet, Winhardus

1) Das Original irrtümlich octogesimo.